

secundum quaecumque speciem ipsam imaginemur. Motus enim localis existit secundum successivam praesentiam in spatio rei corporalis; eius vero species diversae sunt secundum diversam ipsius sive directionem sive intensitatem. Atqui ad hoc plane sufficit subiecti mobilitas, et proportionalis impulsus qui ei imprimatur, etsi huius impulsus principium activum sit a subiecto mobili plane diversum. Ergo, impossibile est, ut ipse sentiendi actus ad aliquam speciem motionis secundum locum revocetur. Confirmatur optime haec ratio a Silvestro Mauro his verbis.

* Actus sentiendi non potest dari nisi in sensitivo; ex. gr. in lapide dari non potest actus sentiendi. Sed actus quibus aliquid titillatur, movetur, secatur, etc., possunt etiam dari in rebus non sensitivis, ex. gr. in ligno. Ergo tales actus sunt diversi et differentes ab actibus sentiendi. Confirmatur, quia si ego reddo sentiens per talem titillationem, est impossibile ut similis titillatio ponatur in ligno, vel in quolibet alio subiecto quin sentiat, eo pacto quo, quia ego moveor circulariter per motum circularem, non potest similis motus circularis poni in ullo subiecto, quin moveatur circulariter per talem motum. Sed similes titillationes et motiones possunt etiam poni in subiectis insensibilibus, quae per illas non sentient. Ergo sentire non est titillari ac moveri, sed aliquid aliud. (Qq. Philosophicae, to. 2. q. 4.)

II. Alterum argumentum ducitur, ut diximus, ex propria ratione sensationis, pro eo quod est actus cognoscitivus seu perceptivus, ut ab omnibus concipitur. Ad cuius rei intelligentiam notare oportet, idcirco aliquem actum dici cognoscitivum seu perceptivum, quia eo obiectum notum fit ac manifestatur cognoscenti. Id autem perficitur secundum quandam vitalem assimilationem cognoscentis ad cognitum: quod communis loquendi usus significat, cum cognitionis actum designamus per voces *captiendi*, *apprehendendi*, *habendi in mente*, *incidendi in mentem*, aliasve plurimas his consimiles. Haec porro assimilatio non est *physica*, h. e. secundum participationem eiusdem qualitatis naturalis, cuiusmodi est ex. gr. simi-

litudo inter duos parietes albos. Nemo quippe, nisi plane desipiat, expostulare poterit ad cognoscendum exempli gratia equum aut bovem, ut quis evadat equus vel bos. Est propterea assimilatio sui generis, quae *intentionalis* vocari potest, utpote deserviens actui quo cognosceus activitatem suam dirigit et quodammodo intendit in obiectum, quaeque facilius intelligitur quam verbis explicetur, ut accidit in ceteris primigeniis factis experientiae. Inde vero sic arguimus.

Ope solius motus localis subiectum mobile, vel non assimilatur moventi, vel physice dumtaxat, sic nimirum, ut simili motus directione vel aequali eiusdem intensitate cieatur. Atqui sensatio perficitur secundum veram assimilationem cognoscentis ad obiectum quod ad sentiendum movet, eamque non physicam, sed altioris ordinis seu intentionalem. Ergo sensatio non consistit in puro putoque locali motu. Apposite rursus Silvester Mauro. * Licet aliquis non sentiat se comburi, secari, ac verberari, nisi cum secatur, comburitur, ac verberatur; aliud tamen est quod secatur, comburatur, ac verberetur, aliud est quod percipiat ac sentiat sectionem, combustionem, ac verberationem. (loc. cit.)

Accedunt denique illa omnia argumenta quibus ante ostendimus, localem motum per se solum minime sufficere ad explicanda cetera phaenomena, sive vegetallium, sive etiam solius naturae anorganicae. Quare multo minus poterit in eo inveniri sufficiens ratio, qua pro merito explicentur operationes propriae regni animalis. Nec refert quod in sentiendo, quemadmodum et in phaenomenis ceteris naturae corporalis, motus aliquis secundum locum intermisceatur. Ut enim iam observavimus [12], ex eo quod unum minime fiat sine alio, perperam occasio sumeretur confundendi utriusque rationem; impingeretur nimirum in fallaciam illam dialecticorum, quae est *exceptio non causae pro causa* [Pr. Ph. 196].

78. *Probatio II. partis.* — Generale medium probationis hoc est. Subiectum sensationis in praesenti non illud dicitur quod ab eo denominatur tantum, ut *sup-*

positum cui ultimato tribuuntur actiones et passiones omnes, etiam unius partis ipsius [*Pr. Ph.* 532, II]; sic quippe ipsum intelligere tribuitur homini qui constat anima et corpore: sed est subiectum *informationis*, cui videlicet proxime innascitur et inhaeret per modum accidentis. Atqui ipse sentiendi actus est accidens immediate inhaerens non soli animae, sed coniuncto ex anima et corpore, scilicet ipsi corpori viventi vita animali. Probatur hoc tripliciter.

I. Sentire est proprium animalis, prout est animal, ac propterea est praedicatum ei *per se primo* conveniens: sensibilitas enim est propria differentia qua regnum animale a vegetali seceratur, ut patet ex praecedentibus. Atqui natura animalis, prout animal, est coniunctum ex anima et corpore, ut ipsum nomen animalis ac ipse communis naturae sensus docet. Ergo sentire est propria operatio coniuncti ex anima et corpore, quae propterea, cum sit immanens, utriusque communis et indivisus actus sit oportet.

II. Subiectum sentiens, qua tale, vitaliter profecto repraesentat obiectum extensum, et quidem sensatione per se una et indivisa, haec tamen sensatio coextenditur in eo, sic videlicet ut animal in se ipso extensionem persentiscat distinguendo partes superiores et inferiores, et modo in una, modo in altera afficiatur. Praeterea, etsi vitaliter in hoc operatur, ad hanc tamen operationem elicendam movetur et patitur a materiali impressione sensibilis exterioris: unde fit, ut non alia obiecta per sensum repraesentari queant, nisi materialia et corporea, et omnino desperet qui putaret, se videre aut audire virtutem exempligratia, Deum, aliaque obiecta id genus. Atqui subiectum quod in partes extra partes extenditur, ac materiali praeterea impressione immutatur, est corpus profecto, utpote quod quantitati subiectur ac materia constat. Ergo corpus ipsum in sentiendi est quod sensatione afficitur informaturque.

III. Accedit postremo argumentum petitum ex conscientiae testimonio. Etsi enim id immediate valet pro

sensatione quam in nobis ipsis experimur, mediate tamen, quin et a fortiori, pro brutis etiam adhiberi potest, quippe quae nobiliorem modum operandi minime habent. Conscientia teste nimirum, sensationem experimur in determinata parte corporis: unde nemo unus existit qui non fateatur, se videre oculis, auribus audire, et sic porro. Atqui sensationem inesse in corpore perinde est omnino atque corpus esse subiectum quod ea informatur. Neque dicatur anima esse in manu, ac propterea videri manum ipsam sentire, quando ex. gr. pungitur vel comburitur. Nam anima etiam est in capite et membris ceteris, nec tamen ideo dicit aliquis, se capite olfacere aut videre pedibus. Nequaquam igitur animae praesentia potest esse ratio sufficiens, quamobrem hoc organum prae alio sentire dicatur. Nec iterum satisfacit qui dicat, propterea nobis videri sensationem in manu exerceri, quia ipsa impressionem recipit, atque ita sensationem in anima *causat*, efficienter scilicet. Ceteris quippe omissis, aliud omnino est *sentire* et *sensationem efficienter* utrumque *causare*. Hoc alterum namque competit etiam obiecto quod in sensum imprimit, immo ipsi Deo, sive cum ad sentiendi actum concurrat, sive cum se solo illum in nobis excitaret, citra scilicet immediatam obiecti operationem. Nec propterea vel obiectum vel Deus sentire dici queunt. Quod si denique res ita explicetur, ideo scilicet manum sentire, quia corpus in *unam naturam* coalescit cum anima, verissime quidem respondebitur, sed ex hoc praecise consequitur, et a priori confirmatur quod in his asserimus. Duo quippe coalescunt in unam naturam pro eo quantum sic uniantur ut ex ambobus procedat operatio vere una; nam dico prout operatio egreditur ab agente, non vero prout dumtaxat se tenet ex parte operati, ut suo loco declaravimus [*Pr. Ph.* 524]. Si itaque corpus et anima debent in unam naturam coire ut sensatio habeatur, necesse est omnino ut hoc quod est *sentire*, *secundum quod procedit a sentiente*, sit una indivisa operatio corporis et animae. Atqui id est manifeste impossibile, si sentiendi actus in sola anima adaequate subiectaretur. Quamobrem, af-

firmare naturam sensitivam, ut talis est, constitui ex anima et corpore, et simul inficari actum sentiendi corpori etiam vere inesse, videtur vel prolatio verborum sine mente, vel concedere duo contradictoria esse simul. Quapropter, ut animadvertit Doctor Angelicus (*Summa th. 1. p. q. 75. a. 4.*), Plato propterea quod posuit sentire esse proprium animae solius, consequenter ducit, corpus non esse de essentia hominis et animalis, sed hominem esse *ipsam animam corpore utentem*.

79. **Obiectio dissolvitur.** — Exposita doctrina de subiecto sensationis difficilis fortasse cupiam videri poterit, ob maximam scilicet illam unitatem et indivisionem actus quae in ea elucet. Siquidem si verum est, istiusmodi actum procedere ab anima simul et corpore, profecto vel totus elicitur, tum ab anima, tum a corpore, vel partim ab una, partim ab altero. Atqui neutrum videtur consistere posse cum unitate et indivisione propria sensationis.

Respondeo, hanc obiectionem falso supposito ininiti, quasi scilicet anima et corpus se haberent ut duo *principia activa* in hoc actu eliciendo. Cum enim, ut mox probabitur, unio animae cum corpore sit ut formae cum sua materia, ex utroque unum existit indivisum operationis principium, compositum scilicet ex ambobus, etsi hoc non agat nisi ratione formae. Confer quae ante diximus [24].

Instabis, Sensatio est actus simplex. Atqui actus simplex nequit inesse rei extensae, qualis est corpus.

Respondeo, *negando maiorem*, quae profecto nec probata est unquam nec probabitur aliquando. Actus quippe sentiendi est certe *indivisus*, postulat fortasse etiam, ut suo loco examinabimus, ut principium formale seu anima, unde procedit, sit *inextensum*; sed manifestissima experientia docet eum formaliter corpori et ratione corporis coextendi.

Instabis rursus. Conscientia teste, idem est subiectum quod in nobis experimur, tum diversis sensationibus, tum diversis quasi partibus unius eiusdemque sensationis affectum. Atqui id fieri minime posset, si sentiendi subiectum

esset res quaedam corporea et extensa. Tunc enim pars quae una sensatione vel parte sensationis afficeretur, minime afficeretur et alia, atque ita nullum existeret *unum idemque* quod eas omnes experiretur.

Respondeo I. Hoc argumentum, si quid evinceret, nimum sane probaret. Inde enim concludere fas esset, nos esse inextensos. Conscientia siquidem cuique manifeste renuntiat, se esse unum plane et indivisum omnino subiectum. Quare si ex simili renuntiatione conscientiae respectu sensationum, colligitur subiectum sentiens esse non modo indivisum, sed simplex etiam et inextensum, eadem profecto consecutione inferre licebit, nos ipsos esse rem quamdam seu substantiam partibus carentem et inextensam. Atqui id est falsissimum omnino, et eiusdem conscientiae relationi repugnat. Haec enim cuique renuntiat, se esse unum quidem subiectum et indivisum, sed vere extensum partesque habens extra partes.

Respondeo II. *Dist. maiorem*. Conscientia teste, idem est subiectum quod....., identitate unius eiusdemque indivisae naturae. *conce.*; identitate simplicitatis, *subdist.*; si sermo sit de subiecto proximo ipsius actus conscientiae, quae nobis refert ea quae intra nos accidunt, *conce.*; si sermo sit de subiecto proximo ipsius actus sentiendi, *rursus dist.*; inadaequate inspecto, quoad principium scilicet formale quo informatur, *transmitto*; adaequate spectato et secundum se toto, *nego. Contradist. pariter min.*

Natura animalis est procul dubio per se una et indivisa, diversas tamen partes et facultates habet, quarum unaquaeque propria operatione donatur, ut manifestum fit, tum ex conscientiae testimonio, tum ex diversitate organorum quae proximam subiectum constituunt harum operationum et facultatum. Quocirca haec unitas longe distat ab unitate simplicitatis. Praeterea sedulo distinguere oportet inter duos actus valde diversos, sensationem scilicet ipsam, et actum conscientiae quo conscimus nos sentire. Hic posterior actus est intellectualis, ac plane simplex et inorganicus, ut suo loco demonstrabitur. Prior vero actus exigit fortasse, ut multi volunt, subiectum in quo

est, informetur principio vere simplici et inextenso, et hoc concludi potest ex ratione allata in obiectione proposita. Sed aliud est subiectum sensationis informari principio quodam inextenso, et aliud est esse inextensum, ut patet in homine qui informatur principio inextenso, licet ipse corporeus sit et extensus. Utrum vero reipsa exigatur tale principium ad sentiendum, ac propterea in brutis etiam quae sola vegetandi et sentiendi virtute donantur, quaestio est non huius sed alterius loci, ubi videlicet agetur de animae simplicitate.

SECTIO VI.

Qua ratione vegetandi sentiendique principium anima vocetur.

80. **Argumentum.** — Examinavimus haec quae satis esse poterant, ut regno tum vegetali tum animali vita veri et proprii nominis ei asseratur, et propriis limitibus concludatur. Disputandum modo est de ipsa natura principii, unde asserta vita proficiscitur, sive in plantis, sive in animalibus: principium dico, non extrinsecum, sed intrinsecum, quod *anima* nuncupatur. Nihil vero in praesenti addimus de propria vita hominis, rationali videlicet: cum enim haec materiae corporalis capacitatem supergrediatur, ad distinctam et altiorum Metaphysicam contemplationem pertinet, ut in Logica indicavimus [408], tametsi cum his, quae in hac Disputatione continentur, in multis sit valde cognata, ut suo loco apparebit. Totam porro doctrinam huc spectantem sequenti conclusione comprehendere licebit.

THESIS X.

Anima non est corpus, sed corporis forma substantialis. Quocirca ipsius essentia, generaliter inspecta, perfecte continetur et a priori declaratur sequenti definitione a Philosopho tradita: ACTUS PRIMUS CORPORIS PHYSICI ORGANICI POTENTIA VITAM HABENTIS.

81. **Declaratio.** — Priusquam assertae conclusionis demonstratio afferatur, nonnulla praemittere iuvat, ut termini rite percipiuntur.

I. Nomine *animae* intelligitur, ait S. Thomas, " primum principium vitae in his quae apud nos vivunt: animata enim viventia dicimus, res vero inanimatas vita carentes. Vita autem maxime manifestatur duplici opere, scilicet cognitionis et motus. " (*Summa th.* 1. p. q. 75. a. 1.) Huc spectat nominalis illa animae descriptio qua dicitur *primum quo nutrimur, sentimus, et movemur secundum locum*, primum scilicet eternumque principium operationum vitalium quae in corpore manifestantur.

II. Cum asserimus, animam corpus quidem non esse, corporis tamen formam substantialem, mediam viam incedimus inter duos errandi modos plane contrarios. Materialistis siquidem antiquis, et recentioribus, anima nihil est aliud, nisi vel corpus quoddam, puta aërem, ignem, aut aliam id genus subtiliorem materiam, vel accidentale quoddam temperamentum seu modificatio materiae corporalis. Confer Aristotelem tot. lib. 1. *De Anima*. Alii contra, cum Platone et Cartesio, animam esse substantiam concedentes, eamque a corpore distinctam, sic tamen ab eo separant, ut non aliam unionem utriusque in medium proferant, nisi duorum subsistentium, quorum unum ab alio efficienter moveatur: quem motum recentiores plerique omnes qui in hanc sententiam concedunt, ad purum

motum localem revocant, qui active proficiscatur ab anima, et passive in corpore recipiatur. Ex hoc opinandi modo patet, unionem mere accidentalem cum corpore uniri, ac propterea eius formam substantialem formae coeunt in unam naturam proprii nominis, substantialem scilicet. Atqui non sunt eiusmodi ea inter quae nulla alia unitas intercedit nisi pure dynamica [Pr. Ph. 454], cuiusmodi patet, esse eam quae ex hoc philosophandi modo assereretur.

III. Ut alibi docuimus [Pr. Ph. 82], partes constitutivae speciei ordinantur quidem sub eodem genere ad quod species pertinet, *reductive* tamen. Cum itaque anima sit substantialis forma, ac propterea pars constitutiva substantiae, sub supremo genere substantiae continetur, non directe, sed per reductionem. Ad rem S. Thomas. " Quod obicitur... formam et materiam in eodem genere contineri, non sic verum est, quasi utrumque sit species unius generis, sed quia sunt principia eiusdem speciei. " (2. Cont. Gent. c. 69.) Confer quae in th. XI. Philosophiae Primae late declaravimus.

IV. Definitio animae in conclusione recitata traditur ac probatur a Philosopho lib. 2. *De Anima*, c. 1. Dicitur porro *actus primus* per oppositionem ad actum secundum qui est operatio; additur *corporis physici*, seu naturalis, per oppositionem ad corpus mathematicè consideratum vel artefactum [6]. Inter corpora vero naturalia praecipue excellunt corpora viventia: ipsa namque primo et per se maxime videntur habere principium sui motus et quietis. Ea dicuntur in tradita definitione, tum *organica*, tum *potentia vitam habentia*. Organica quidem, prout ante explicavimus, propterea quia partibus integrantibus constant heterogeneis, quarum singulae propriam functionem habent, sic tamen invicem connexae ut aptissime conspirent ad bonum totius corporis conservandum et perficiendum. Cum vero proprie spectet ad operationem vitalem, ut cedat in bonum ipsius viventis, hinc corpus organicum dicitur *potentia vitam habens*, quia scilicet, ut l. c. explicat idem Philosophus, *aptum est operationibus vitalibus exercendis*,

eiusmodi sunt exempligratia nutritio et generatio. Nec refert, quod diversitas organorum permanere videatur in corporibus vegetabilibus et animalibus, tametsi vita destituantur. Remanent quippe *reliquiae* nonnullae organismi, sed non verus organismus eo ipso quod propriam organismi functionem non amplius habeant. Quae Aristoteles 7. *Metaph.* ait, *oculum et carnem non dici in mortuo nisi aequivocè* (1).

82. *Probatio I. partis.* — Animam non esse corpus sic ostendit S. Thomas. " Non quodcumque vitalis operationis principium est anima; sic enim oculus esset anima, cum sit quoddam principium visionis; et idem esset dicendum de aliis animae instrumentis. Sed primum principium vitae dicimus esse animam. Quamvis autem ali-quod corpus possit esse quoddam principium vitae, sicut cor est principium vitae in animali; tamen non potest esse primum principium vitae ali-quod corpus. Manifestum est enim quod esse principium vitae, vel vivens, non convenit corpori ex hoc quod est corpus: alioquin omne corpus esset vivens, aut principium vitae. Convenit igitur alicui corpori quod sit vivens, vel etiam principium vitae, per hoc quod est tale corpus. Quod autem est actu tale, habet hoc ab aliquo principio quod dicitur actus eius. Anima

(1) Ex hac postrema observatione patet, duas particulas quibus tradita animae definitio concluditur, quibus scilicet corpus vocatur et *organicum* et *potentia vitam habens*, non rem diversam, sed eandem sub diverso respectu, exprimere. Cum enim corpus dicitur *organicum*, consideratur ipsa conformatio et mutus ordo membrorum quibus instruitur ut sit subiectum proxime idoneum ad vitaliter operandum; cum vero additur *potentia vitam habens*, haec ipsa operatio quae est totius organismi *fnis*, expressus et disertius exprimitur. Et hoc certe est ex mente Philosophi, qui l. c. modo definit animam dicendo eam esse actum *corporis physici organici*, modo vero dicendo eam esse actum *corporis physici potentia vitam habentis*, accepto nomine vitae, non pro ipso esse substantiam viventis, sed pro *operatione* vitali. Ergo expresse supponit Aristoteles illa verba *corporis physici organici* reipsa aequipollere aliis, nimirum *corporis physici potentia vitam habentis*. Confer S. Thomae commentarium in h. l. Philosophi.

igitur, quae est primum principium vitae, non est corpus, sed corporis actus; sicut calor qui est principium calcificationis, non est corpus, sed quidam corporis actus. (Summa th. 1. p. q. 76. a. 1.)

Factae ratiocinationi obiicitur fortasse, ea demonstrari procul dubio, animam non esse corpus *generaliter consideratum*, sed non videri posse inde legitime concludi, eam minime esse corpus *aliquid determinatae naturae*, puta ignem, aut aërem, ut putabant philosophi antiqui.

Huic instantiae Caietanus optime satisfacit. * Cum hic non intendatur aliud, ait, nisi concludere quod anima sit actus seu perfectio corporis, non corpus ipsum; idem est iudicium de corpore animato in communi, et de tali, puta igne. Quia si ignis est principium vitae, aut ergo primo ratione corporeitatis, id est partis materialis, aut ratione principii quo constituitur in esse tali. Non primum; quia sic omne in quo illud materiale sine tali constitutione esset, viveret. Ergo secundum, et hoc vocamus animam. (loc. cit.)

Urgebatur denno. Disiunctio modo facta non videtur adaequata. Posset enim quis existimare, ignem ex. gr. non esse principium vitae, neque ratione corporeitatis, nec etiam ratione principii quo in tali esse constituitur, sed *ratione sui totius*, quemadmodum oculus est visionis principium, non ratione huius vel illius componentis, sed ratione totius resultantis ex tali compositione. Sic itaque non omne quidem corpus esset anima, sed quoddam corpus determinatum, puta ignis.

Respondet rursus idem Caietanus, et argumentum ab Angelico factum summam repetit. * Quamvis, ait, aliqua passio vel operatio possit sic primo convenire composito, quod nulli alteri prius *tamquam subiecto*, nulla tamen passio aut operatio potest ei convenire sic primo, quin conveniat prius alicui eius parti essentiali, *tamquam priori principio*; quoniam partes essentialia compositi radices primae sunt omnium illi convenientium. Et propterea ly *primum*, in ratione assumpta, non denotat *primo*, id est adaequate, sed *primum*, id est, principale, ita quod vis

rationis stat in hoc. *Prima radix vitae in corpore vivente, aut est corpus, aut actus is quo vivit; compositum enim esse non potest. Sed corporeitas non. Ergo...* Et est processus resolutivus. *

Vide alias, si placet, eiusdem rei confirmationes apud eundem Angelicum (2. Cont. Gent. c. 65.).

83. *Probatur II. pars.* — Ratio duplex est. Prima quidem ex directa rei ostensione: altera excludendo oppositum errorem.

I. Corpora naturalia, ut ante ostensum est [29, seqq.], specificè differunt invicem ipsa natura seu substantia, principium vero intrinsecum quo talem diversitatem nanciscuntur, iure merito forma substantialis est ac nuncupatur. Ex hoc duplici principio manifeste efficitur quod in praesenti asserimus. Si qua enim sunt corpora vere et proprie naturalia, ea maxime sunt corpora viventia, sive vita vegetali dumtaxat, ut plantae, sive vita vegetali simul et sensitiva, ut animantia. Differunt proinde specificè, tum ab anorganicis, tum inter se etiam, non ad sola accidentia quod spectat, sed in ipsa natura seu substantia; atque adeo principium intrinsecum quo talis diversitas existit, vera est forma substantialis eorumdem. Atqui tale principium est anima. Probatur hoc manifeste ex ipsa nominali descriptione animae paulo ante [81] tradita. Nam vocamus animam primum vitae principium in his (internum scilicet) quae apud nos vivunt vitam sive vegetativam dumtaxat, sive vegetativam simul et sensitivam. Atqui eiusmodi corpora differunt ab inorganicis pro eo quod sunt viventia; differunt etiam ad invicem, quatenus tali determinato vitae gradu continentur, vegetativae scilicet solius, vel vegetativo-sensitivae. Ergo anima est corporis forma substantialis, vere et proprie (1).

(1) Hanc demonstrationem S. Thomas proponit his verbis. * Illud, ait, quo primo aliquid operatur est forma eius cui operatio attribuitur; sicut quo primo sanatur corpus est sanitas, et quo primo sanatur anima est scientia; unde sanitas est forma corporis, et scientia

II. Si anima nec est corpus nec corporis forma substantialis, ergo vel est accidentalis quaedam corporis forma seu modificatio, vel est substantia quidem, corpori tamen extrinsece quasi assistens, ut motor mobili, vel ut nauta navi, quemadmodum Plato loquebatur. Alterutrum quippe respondent quicumque quod modo asserimus inficiantur. Atqui neutrum cum veritate asseri potest.

Non primum, quia ut ante demonstravimus [53, l.] viventia, prout huiusmodi, in ipsa substantia differunt a non viventibus, ac propterea anima qua vivunt, pertinet ad ipsam naturam seu substantiam rerum eiusmodi. Atqui impossibile est, aliquid in suo esse substantiali constitui per aliquod accidens, ut manifestum videtur ex terminis: quare hic maxime locum habet dictum illud Philosophi quod ante meminimus [33], quo scilicet pro magno inconvenienti reputat *substantiam constari e non substantiis*.

Non secundum, propterea quia ex tali philosophandi modo vita quaelibet denegaretur corpori, et sic nullum corpus revera viveret, sed unitum esset dumtaxat cum aliquo vivente. Probatur haec consequentia multipliciter. Etenim primo, esse vivum, ut modo diximus, est praedicatum substantiale, ac propterea operatio vitalis proficiatur oportet ab ipsa substantia rei viventis. Atqui, in

est forma quodammodo animae. Et huius ratio est, quia nihil agit, nisi secundum quod est actu: unde quo aliquid est actu, eo agit. Manifestum est autem, quod primum quo corpus vivit est anima; et cum vita manifestetur secundum diversas operationes in diversis gradibus vitae vivendum, id quo primo operatur unumquodque horum operum vitae est anima; anima enim est primum, quo nutrimur, et sentimus, et movemur secundum locum. (Summa th. 1. p. q. 76. a. 2.) Haec probatio allata ab Angelico, immediate quidem concludit tantum, animam esse formam corporis: si tamen habeatur prae oculis quod S. Doctor ante (q. 18. a. 2.) iam docerat atque adeo hic supponit, nimirum esse *vivum* non praedicari secundum accidens, sed substantive, eodem ipsissimo discursu simul conficitur, animam esse corporis formam, non qualemcumque, sed substantialem: formalis quippe effectus ipsius in corpore, videlicet *esse vivum* est praedicatum, non accidentale, sed substantiale, quod propterea ab accidenti formaliter causari non potest.

haec hypothesi, principium activum quo moveretur corpus non esset intrinsecum substantiae eiusdem, sed spectaret dumtaxat ad esse substantiale illius rei subsistentis quae corpori assisteret illudque moveret (1). Praeterea, motus quem adversarii corpori attribuant ab anima provenientes, nihil vetat a solo Deo producat. Procedit quippe ab anima dumtaxat ut a causa efficiente: immo, ex principiis philosophiae corpuscularis, potest etiam produci ab alio spiritu separato, quippe qui valet corpus localiter movere in quacumque directione, et cum eadem aut maiore etiam intensitate qua ab anima moveretur. Atqui, id si eveniret, non idcirco corpus diceretur veram vitam vivere, sed moveri dumtaxat. Ergo est plane impossibile, ut propria vitae ratio in istiusmodi motu consistat. Nec refert diversitas agentium. Ut enim ante arguebamus [9], si effectus existunt specificè similes, eandem profecto tribuant denominationem suo subiecto, quaecumque demum fuerit causa efficiens a qua procedunt: ut patet in duobus hominibus, quorum unus produceretur a solo Deo, alius vero per naturalem generationem, qui non propterea ulla ratione different quoad speciem. Postremo haec opinio plane convellitur ineluctabili argumento quod Angelicus (2. *Cont. Gent.* c. 57) urget contra opinionem Platonis, quodque in rem nostram sic exponere licet. Nimirum vegetare et sentire sunt operationes plane indivisae, non certe ex

(1) * Una substantia assistens alteri non potest esse principium intrinsecum operationum, vel motuum eius, sed erit extrinsecum agens per actionem transeuntem aliud immulans. Ergo motiones quae fiunt a substantia assistente in altera cui assistit, non possunt esse actiones vitales illius substantiae in qua altera illi assistens operatur. Ergo talis substantia assistens non vivificat tale corpus: non est ergo anima illius.... Et ratio est supra tacta. Quia de ratione vitae est ut sit ab intrinseco principio ipsius operantis: ideo enim consuetur vivere, quia ab intrinseco operari potest: ergo sola assistentia unius substantiae in aliam non sufficit ad illam vivificandam, id est, ut illa possit vitaliter operari: ergo non potest sufficere ad veram rationem animae, ac subinde de ratione animae est, ut sit forma informans. SUAREZ (*De Anima*, lib. 1. c. 1. n. 13.)

parte eius dumtaxat in quod ipsae terminantur, solius videlicet operati, sed secundum quod egrediuntur ab agente. Postulant proinde principium indivisum secundum esse. Atqui duo subsistentia quorum unum in aliud agit, sunt divisa secundum esse. Ergo fieri minime potest, ut procedat ab anima et corpore, quae tali unionis modo consociarentur invicem. Aliunde minime etiam dici potest, eas vel a solo corpore, vel a sola anima procedere: sunt quippe actus, vitales quidem, organici tamen. Ergo, consequenter ad principia adversariorum, nulla existeret vegetatio, nulla sensatio, ac propterea nulla vita corporis, quippe quod his solum vitalibus operationibus capax esse potest.

84. *Probatur III. pars.* — Sequitur ex praecedentibus. Etenim per illa verba, quibus anima dicitur *actus primus*, assignatur communis ratio *formae*, et ita distinguitur anima tum a potentia quae actui opponitur, tum ab actu secundo qui est operatio. Cetera autem verba quae adduntur, nimirum *corporis physici organici potentia vitam habentis*, declarant optime et quidem a priori propriam rationem huius formae quae est anima, scilicet per ordinem ad causam finalem, unde tanquam ex prima radice sumitur ratio ceterarum causarum [*Pr. Ph.* 391]. Finis enim proprius formae est esse compositi, ad cuius constitutionem per se ordinatur. Porro anima, prout talis est, ordinatur ad constituendum *corpus vivum*, prout huiusmodi. Atqui corpus vivum, qua tale, est corpus quoddam *physicum* seu naturale, scilicet primo et per se habens principium motus et quietis [6]; est praeterea corpus *organicum*, partes scilicet dissimilares habens, quae sint instrumenta diversarum operationum vitalium: est denique corpus *potentia vitam habens*, videlicet idoneum ad vitaliter operandum. Ergo propria ratio huius formae, quae est anima, optime et maxime a priori per ordinem a talem finem et effectum declaratur. Nec refert, quod in tradita definitione minime dicatur anima esse forma substantialis. Brevitas quippe definitionis postulat, ut non addantur particulae non necessariae, quaeque per alias bene declarantur.

Atqui ratio formae substantialis sufficienter declaratur per illa verba *corporis physici organici potentia vitam habentis*. Tale enim corpus, tum quia physicum, seu naturale, tum quia vivum, non est in genere accidentis, sed maxime in genere substantiae. Ergo finis et effectus huius formae, quae est anima, in genere substantiae continetur. Patet autem id soli formae substantiali convenire posse.

85. *Coroll. I.* — Quo pacto dicatur anima movere corpus quod ea informatur. — Ex dictis sequitur primo, causalitatem propriam corpus inter et animam, prout in naturae unitatem uniuntur, minime consistere posse in aliquo influxu qui sit actio quaedam unius in aliud. Ut enim in Philosophia Prima declaravimus [650], actio est propria causalitas causae efficientis, quae propterea alia est a causalitate propria causae materialis et formalis. Hoc tamen minime prohibet quominus corpus ab anima vere et efficienter moveatur. Corpus namque quod sic ab anima movetur, est ipsum corpus iam animatum; actio vero qua movetur, proficiscitur a facultate motrice, quae, ut ceterae facultates animalis, consequitur in corpore ex ipsa unione qua ab anima informatur. Quare S. Thomas: "Anima, ait, non movet corpus per esse suum, secundum quod unitur corpori ut forma, sed per potentiam motivam, cuius actus praesupponit corpus iam effectum in actu per animam." (*Summa theol.* 1. p. q. 76. a. 4. ad 2.)

86. *Coroll. II.* — Anima pure vegetativa vel sensitiva est forma non subsistens. — Quemadmodum enim ante declaravimus [23], non quaecumque forma substantialis dicitur subsistens, sed ea dumtaxat cui *proprie et ratione sui* debetur esse, ac propterea non tantum ratione ipsius compositi. Atqui animae pure vegetativae vel sensitivae non debetur esse ratione sui sed ratione compositi. Ergo talis anima non est forma subsistens. Prob. min. Similiter enim unumquodque habet esse et operationem. Atqui omnis operatio vitae quae non transcendit ordinem sensitivum, est operatio organica, cuius subiectum scilicet est ipsum corpus vivens vita vegetali vel animali, ut in

th. IX. ostensum est. Ergo esse non nisi ratione compositi debetur omni animae quae ordinem vitae sensitivae non transcendit. Ita argumentatur S. Thomas (*Summa th. 1. p. q. 75. a. 3.*). Ex quo ulterius idem S. Doctor hanc pulcherrimam subordinationem observat inter diversos formarum ordines, pro diversitate scilicet operationum. "Secundum ordinem naturarum, ait, sunt etiam ordines actionum. Invenimus autem quasdam formas, quae se ulterius non extendunt, quam ad id quod per principia materialia fieri potest: sicut formae materiales et mixtorum corporum, quae non agunt ultra actionem calidi et frigidi; unde sunt penitus materiae immersae. Anima vero vegetabilis, licet non agat nisi mediantibus qualitatibus praedictis, attingit tamen operatio eius ad aliquid, in quod qualitates praedictae se non extendunt, videlicet ad producendum carnem et os, et ad praefigendum terminum augmento et ad huiusmodi; unde et adhuc delinetur intra ordinem materialium principiorum, licet non quantum formae praemissae. Anima autem sensibilis non agit per virtutem calidi et de necessitate, ut patet in actione visus, et imaginationis, et huiusmodi; quamvis ad huiusmodi operationes requiratur determinatum temperamentum calidi et frigidi ad constitutionem organorum, sine quibus actiones praedictae non fiunt: unde non totaliter transcendit ordinem materialium principiorum, quamvis ad ea non tantum deprimatur, quantum formae praedictae. Anima vero rationalis etiam agit actionem ad quam virtus calidi et frigidi non se extendit; nec etiam exercet per virtutem calidi et frigidi; nec organo etiam corporali: unde ipsa sola transcendit ordinem naturalium principiorum; non autem anima sensibilis in brutis vel vegetabilis in plantis. . (Qq. Disp. Pot. q. 3. a. 11.) Tota haec doctrina, sane pulcherrima, manet etiam intacta, si qualitates quas in natura anorganica considerat S. Doctor, calidum scilicet et frigidum, per modum exempli habeantur, et loco ipsarum considerentur qualitates omnes elementares, quaeque ex mixtione ipsarummet efflorescunt.

SECTIO VII.

*An eidem viventi plures insint
animae vel formae substantiales
in essentia differentes.*

87. **Scopus tractationis.** — Haec quae in praesenti sectione dicturi sumus, praedicata iam censi possunt ex iis quae universe et generaliter de unitate cuiusque formae substantialis in ipso huius Disputationis limine praemisimus. Seorsum tamen hic tractari debent duplici de causa. Primo quidem, quia inde magis elucescit et confirmatur veritas doctrinae de unitate formae, quam ex Angelici mente in prima sectione delinnavimus. Secundo, quia ex hac tractatione multa dependent, quae ad naturam animae penitus intelligendam spectant, quaeque magna animorum contentione verbis et scriptis hinc inde disputari consueverunt. Abstrahimus etiam in praesenti tractatione ab anima rationali, prout rationalis est, ac propterea sermonem coarctamus ad viventia quae et quatenus vitam organicam vivunt, vegetalem scilicet et sensitivam.

88. **Diversae sententiae.** — Multiplices modos excogitatos, ut non una sed plures substantiales formae in viventibus assererentur, magna cum diligentia relatos invenies apud Suarez (*Metaph. D. 15. sect. 10.*), nec certe alius inventus est haecenus qui ad eos non revocetur. In duo genera commode distribui possunt. Vel enim istiusmodi formae sic invicem ordinari dicuntur, ut inferior, etsi respectu materiae sit actus, respectu tamen superioris formae ad modum potentiae se habeat: vel omnes ponuntur actuare eandem materiam, sic tamen ut una se habeat ut forma primaria, quae simul cum materia *totam rei essentiam* constituat, alia vero vel aliae sint dispositiones

dumtaxat preparantes materiam, ut forma principalis conaturaliter possit in ea operari. Hoc propterea differt inter utrumque opinandi modum, quod in priori omnes formae sunt essentialiter compositae et praedicatae a singulis desumpta quidditative inter se praedicantur; in altero autem partes essentialiter compositae sunt sola materia ac forma primaria, ceterae vero formae non sunt de eius essentia, sed causae quodammodo extrinsecae seu partes dumtaxat integrales.

Ad priorem explicationem duae sententiae praecipue spectant, altera de multiplicatione animarum, altera de forma corporeitatis. Duplicem esse animam docuit Plato, utramque sensitivam, *irascibilem* scilicet in corde, et *concupiscibilem* in hepate, qui praeterea tertiam etiam addidit in homine, videlicet *intellectivam*, quam in cerebro collocavit. Alii vero, quos meminit Suarez (*loc. cit.* n. 17, 18.), quibus etiam plures nostrae aetatis, medici praesertim, ad stipulantur, realiter invicem distinguunt principium vitae sensitivae a principio vitae vegetativae in animalibus: illud vocant simpliciter animam, hoc vero principium vitale, quod qui dicunt esse a viribus materiae brutae distinctum *vitalistarum* nomen proprium sibi fecerunt. Praecipue tamen in hac re memoratu digna est celebris opinio de forma *corporeitatis* distincta ab ea, unde vita in corpore procedit. Primo itaque docuit Avicenna, eam esse materiae coevam, incorruptibilem, et a materia inseparabilem, eiusque munus in hoc esse, ut tribuat composito gradum seu praedicatum genericum corporis. Hanc sententiam amplexus est Scotus, modificatam tamen, et quoad sola viventia. Sic eam declarat et probat. * Forma animae, ait, non manente, corpus manet: et ideo universaliter in quolibet animato necesse est ponere illam formam, qua corpus est corpus, aliam ab illa qua est animatum. Non autem loquor de illa, qua est corpus, hoc est, individuum corporis quod est genus: nam quodcumque individuum sua forma taliter est corpus, ut corpus est genus et habens corporeitatem. Sed loquor de corpore, ut est altera pars compositi: per hoc enim non est individuum, nec

species in genere corporis, nec in genere substantiae quod est superius, sed tantummodo per reductionem. Unde corpus quod est altera pars manens quidem in esse suo proprio sine anima, habet per consequens formam qua est corpus isto modo, et non habet animam. Et ideo illa forma necessario est alia ab anima: sed non est aliquid individuum sub genere corporis, nisi tantum per reductionem ut pars; sicut nec anima separata est per se inferior ad substantiam, sed tantum per reductionem. * (*4. Dist.* 11. q. 3.) Ideo vero subtilis Doctor voluit huiusmodi forma materiam non constitui in aliqua determinata specie corporis, quia optime intelligebat, secus actum omnino esse de *unitate substantiali naturae humanae*. Videtur quippe per se manifestum, non posse aliquid ens iam completum in genere substantiae evadere partem in eodem genere. Quare differt haec sententia, tum ab opinione Avicennae, tum a corporeitate qualem concipiunt fautores philosophiae corporcularis.

Ad alterum modum multiplicandi formas binae etiam sententiae praecipue spectant. Prior est illa de formali permanentia substantiae elementarium corporum in mixto, quam ante tractavimus [46. seqq.]. Cum enim corpus animatum sit de genere mixtorum, hinc qui talem permanentiam teneant, consecutione quadam necessario in viventibus etiam id ipsum doceant necesse est. Sunt vero qui hanc sententiam sic teneant, ut dicatur materia, in viventibus, formis quidem elementaribus manere instructa, hoc tamen elementare compositum non esse subiectum formae vitalis, sed primam materiam per se et immediate cum anima copulari, cui tamen ipsae elementares formae subsint et deserviant, quasi instrumenta quaedam tametsi separata. Ceterum haec postrema explicandi ratio vix ac ne vix quidem differt a sequenti. Altera itaque sententia praecedenti affinis est, quae in diversis dissimilariibus viventium partibus formas ponit diversas, specie distinctas, puta carnis, ossis, nervi; quae formae, etsi pertinent ad integritatem plantae vel animalis, ea tamen non constituunt essentialiter, cum eorum essentia in sola materia

et anima unitis invicem consistat, nec propterea sunt animae subiectum, sed tantum praerequiruntur in materia, quo ipsa possit connaturaliter informari suasque operationes exercere.

Hi sunt modi omnes hactenus excogitati (1) ad pluralitatem formarum in corporibus viventibus introducen-

(1) Cl. T. Pesch in suo egregio volumine (*Philos. Natur.*) cum reicerit utrumque modum multiplicandi formas supra recitatum, utpote contrarium expressae doctrinae Aquinatis, tertium proponit (n. 210) eius iudicio haud improbabilem, quo scilicet concedatur quidem in uno eodemque composito naturali *realitas* plurium formarum substantialium reipsa invicem distinctarum et subordinatarum, sola tamen ultima, unde differentia specifica pullulet, *nomine* formae substantialis nobilitetur. Sed, ni totus fallar, hic dicendi modus mihi non videtur diversus ab altertro duorum priorum quos recensui. Equidem haud inficior, non omnino prorsus immerito posse in huius explanationis favorem afferri quae leguntur in c. 8. Opus. cui titulus, *De nat. materiae et dimensionibus interminutis* (28. al. 32. inter Opusc. S. Thomae). Sed enimvero nemo prudens a nobis expostulabit, ul ad normam obscurissimam et incerti aequalis, qualem certe hoc opusculum legenti putare liceat, interpretetur, seu potius ul falsa habeamus, quae constanti et perspicua affirmatione nos edocuit S. Thomas in operibus quae ab omnibus tanquam indubitis tanti Doctoris partus habentur, in quibus omnino negat posse in uno eodemque composito naturali plures existere formas *secundum essentiam differentes*, eandem semper doctrinam tradens quam paucis et clarissimis verbis ita contrahit in Summa theologia. " Dicendum quod nulla alia forma substantialis est in homine nisi sola anima intellectiva, et quod ipsa sicut virtute continet animam sensitivam et nutritivam, ita virtute continet omnes inferiores formas, et facit ipsa sola quiddid inferiores formae in aliis faciunt. Et similiter est dicendum de anima sensitiva in brutis, et de nutritiva in plantis, et universaliter de omnibus formis perfectionis respectu imperfectarum. " (l. p. q. 76. a. 4.) Velle autem haec omnia explicare dicendo, vitari pluralitatem formarum negatam a S. Doctore, per hoc solum quod, tametsi concedantur plures formae substantiales realiter distinctae in eodem composito, quarum una alteri subserviat, sola tamen ultima quae eis praesertim *vocabulum formae substantialis* sibi reserveat, tantummodo profecto valeat, quantum ad meram quaestionem de voce revocare gravissimas ratiocinationes Aquinatis, cum res potuisset sola unitis vocis et obvia distinctione facillime stabiliri. Hoc autem cum reverentia tanto Doctori debita dici non potest. Lege testimonia quae citavimus in ipso limine praesentis Disputationis [37, nota].

dam. His omnibus contradicit doctrina Aquinatis in I. huius Disp. sectione exposita, de qua Suarez, cum recitatas omnes sententias late exposuerit et refutaverit, ita pronuntiat. " Relinquitur ergo *verissimum esse sententiam* asserentem unius substantiae compositae tantum esse unicam causam formalem et in unico composito naturali unicam tantum esse formam substantialem. Quam tenet Angelicus. l. p. q. 76. a. 4., et ibi Caietanus, et omnes Thomistae... Ex Aristotele autem nihil de hac re expresse habemus; at vero ex eius principiis clare colligitur haec sententia. " (*loc. cit.* n. 62)

89. **Praenotanda ad solutionem quaestionis.** — Ut vero solutio quam tradituri sumus, facilius intelligatur, haec observa.

I. In praesenti sermo est dumtaxat de ipsa quidditate substantiali animae vel alterius formae. Si enim ageretur de potentibus seu viribus, haec profecto in uno eodemque vivente plures sunt et diversae. Ex hac porro facultatum diversitate minime licet arguere ad diversitatem etiam principiorum formalium unde procedunt: sunt quippe a substantia distinctae, nec prohibet unam eandemque essentiam, simplicem licet, pluribus diversisque agendi facultatibus pollere [*Pr. Ph.* 640, seqq.].

II. Eisi una in unoquoque vivente asseritur anima et forma substantialis, ea tamen est virtualiter multiplex pro diversitate graduum perfectionis quibus materia ab ea actualatur [39]. Ex hac autem multiplicitate quaedam certa virtualis etiam compositio efficitur, quin tamen propterea plures existant animae vel formae secundum essentiam differentes; compositio quippe virtualis nullam exigit distinctionem realem. Confer quae hac de re diximus in Logica [334, 363].

III. Quaestio praesens est de *uno eodemque vivente*. Ut enim substantiae ceterae, sic etiam quae vivunt, realiter adaequate distinguuntur invicem, ac propterea totidem existunt formae quibus specificantur, quot sunt individua. Specialis vero quaestio de successiva animatione foetus ad rem praesentem non spectat, sed alibi commodius

pertractabitur: siquidem, supposita eiusmodi animatione, non idcirco multiplicatur animae eiusdem viventis, sed prior desinit, altera adveniente.

THESIS XI.

In uno eodemque animali non sunt plures animae secundum essentiam differentes, sed unica est unde sensus et vegetatio procedit in corpore. Quin dicendum etiam videtur, unumquodque corpus virum per eandem omnino formam esse et corpus et animatum.

90. *Probatur I. pars.* — Multiplicitas animarum excluditur duplici ratione iam indicata [38, 39], quarum altera a priori, altera a posteriori ducitur.

I. Ratio a priori ducitur ex unitate animalis. Constat quippe communi hominum sensu, animal quodcumque esse unum vivens. Atqui id veritatem non haberet, si alia et alia anima vitam viveret sensitivam et vegetalem. Ergo non datur istiusmodi animarum distinctio.

Probatur minor. Principium enim determinans in aliquo genere, necesse est etiam determinet in specie. * Non enim, ait S. Thomas, potest esse actu in rerum natura aliquid non specificatum, ad diversas species indifferenter se habens. Quamvis enim intellectus concipiat animal non specificatum rationali vel irrationali differentia, non tamen potest esse actu animal, quod non sit rationale vel irrationale: unde secundum Philosophum non est in genere, quod non est in aliqua eius specie. (Quolib. 9. a. 1.) Ergo si plures in essentia existant animae eiusdem viventis corpus informantes, quarum ex. gr. altera vegetativa, altera sensationis dumtaxat principium esset, affirmari consequenter deberet, idem animal alio principio constitui individuum quoddam in specie vegetalis, et alio constitui individuum quoddam determinatum in specie

animalis. Atqui hoc manifestam inducit pluralitatem in ipso esse viventis: pluralitas autem opponitur unitati. Neque valet dependentia mutua inter haec bina principia, ut haec pluralitas viventium vitetur. Quaecumque enim sit dependentia, quam in hac hypothesi imaginari licet, ea certe alia non esset a mera dependentia sive ordinis, sive etiam activitatis mutuae. Nexus porro istiusmodi bene concipitur inter duo viventia supposito separata. Videas hoc argumentum latius evolatum apud eximium Doctorem (*De Anima*, lib. 1. c. 6.).

II. Accedit argumentum a posteriori depromptum, a connexionem scilicet, quam cernere licet in operationibus omnibus quibus animal vitaliter operatur. Ut enim arguit S. Thomas: * Diversae vires quae non radicanur in uno principio, non impediunt se invicem in agendo, nisi forte earum actiones essent contrariae. Quod in proposito non accedit. Videmus autem quod diversae operationes animae impediunt se; quum enim una est intensa, altera remittitur. Oportet igitur, quod istae actiones, et vires quae sunt earum proxima principia, reducantur in unum principium. Hoc autem principium non potest esse corpus. (2. *Cont. Gent.* c. 58.) Praeterea operationes vegetativae in animali sunt altioris omnino ordinis ac in plantis. Qua in re illud praecipue notari debet [72], eas omnes videlicet, sive in se, sive in suis organo spectentur, in eodem quasi gradu constitui. Per nutritionem enim ceterasque operationes vitae vegetalis, non quodcumque corpus organicum generatur, evolvitur, et conservatur, sed corpus aptum ad sentiendum. Unde vere dici potest, operationes ipsas vegetativas in animali quodammodo evadere sensitivas, h. e. ordinis sensitivi. Contra, actus sentiendi, et appetitus inde consequens, sic exercentur in animalibus, ut suapte natura tendant ad organismi totius conservationem, evolutionem, et reproductionem. Id porro manifesto indicio est, has omnes operationes, multiples licet et diversas, radicibus fluere ex uno eodemque principio formali: sic quippe solummodo probabilis assignatur causa tantae unitatis. Denique, exulante vita sensitiva ab

animali, continuo cessat tota vita sensitiva, et vicissim. Utraque igitur videtur ex eodem principio proficisci.

91. *Probatur II. pars.* — Quod in hac altera parte asserimus, etsi prima facie aliquid a precedenti diversum continere videtur, sic tamen unum ex alio nexum putamus, ut iisdem plane argumentis utrumque evincatur.

I. Ac primo quidem in rem praesentem facit argumentum ductum ex unitate animalis. Ut enim animal est individuum in genere viventis, sic etiam est individuum in genere corporis; corporis, inquam, physici et naturalis. Iam vero, si per aliam formam esset in genere viventis, et per aliam in genere corporis, haec unitas nulla esset. Nam ex una parte, ut paulo ante arguebamus, forma quae animal constitueret in genere corporis, deberet etiam illud constituere in specie determinata, immo in ultima actualitate alicuius individui in tali specie. Ex alia parte anima, utpote forma substantialis, eo ipso quod materiam actualat, praecisione facta a quacumque alia forma, iam constituit substantiam compositam ex potentia et actu substantiali, substantiam scilicet materialem, seu corpus [40]. Ergo animal, quatenus constat materia et anima, iam est quoddam constitutum in genere corporis, ac proinde in specie et individuatione alicuius corporis determinati (1). Haberemus ergo, etiam in hoc opinandi

(1) Ex hoc argumento patet, frustraneam esse, nec sibi consentaneam, distinctionem ante recitatum [88], qua scilicet Doctor Subtilis distinguit corpus quod directe ordinatur sub genere corporis, ab eo quod reductive tantum sub tali genere contineri dicitur. Apposite Suarez. * Haec responsio non satisfacit. Primo, quia ut aliquid individuum continetur directe sub aliqua specie, satis est quod contineat actu totam essentiam actualem illius speciei, nec opus est quod contineat actu quiddam species continet in potentia, ut per se notum est. Corpus autem de praedicamento substantiae est species subalterna sub genere substantiae, de cuius actuali ratione solum est, ut sit substantia composita ex materia et forma substantiali, vel ut sit substantia per se existens et capax quantitatis. Sed tota haec ratio actualis convenit illi individuo. Ergo. (Metaph. D. 15. sect. 10. n. 11.) Confer I. Kleutgen (*Filosofia antica*, tratt. 8. n. 833. seqq.).

modo, unum idemque animal constare duobus individuis in genere corporis, quod manifeste adversatur unitati animalis. Brevi: sicut multiplicitas animarum idcirco excluditur, quia pluralitatem efficeret viventium in uno animali, sic etiam forma corporeitalis ab anima distincta propterea excludi debet, quia inde vera pluralitas corporum enascetur in eodem animali, et sic etiam substantialis unitas ipsius violaretur.

II. Idipsum confirmatur similiter ex unitate operationis. Nam connexio illa operationum, unde paulo ante deduximus, vitam totam unius eiusdemque animalis proficisci ex uno eodemque formali principio, existit etiam inter vires facultatesque omnes unius eiusdemque animalis, non exclusis viribus physicis et chemicis quae in eo elucet. In omnibus quippe id constanter elucet, operatione unius, cum fuerit intensa, impediri operationem alterius. Praeterea, etiam quod istiusmodi vires spectat, haec non utcumque deserviunt superioribus, vitalibus nimirum, sed intrinsece elevantur ad producendos effectus nobiliores, qui scilicet accommodati sint gradui naturae in quo per ultimam differentiam ab anima constituuntur. Atque haec experientia est longe evidentior modo, quam aetate Aquinatis, cum multiplicatae observationes magis magisque in dies illam corroborent. Ergo, si consequenter ratiocinari volumus, omnes istiusmodi vires, etiam quae physicae et chemicae nuncupantur, ab ipsa anima, sicut a formali principio, procedere dicendae sunt in corporibus viventibus. Immo, si quis attente consideret, haec experientia maiorem adhuc vim exerit, si haec qualitates physicae et chemicae comparantur cum viribus vegetativis, quam si istae comparentur cum sensitivis. Et re quidem vera, etsi vegetativae vires in sentiente intrinsece elevantur, et quodammodo sensitivae, evadunt, ut ante dicebamus, ipsa tamen sensatio, organica licet, minime perficitur instrumentaliter per istiusmodi vires, vegetales scilicet, sed his solummodo praeparatur organum sensum idoneum. E converso, operationes vegetales perficiuntur instrumentaliter mediantibus qualitatibus physicis et chemicis. Unde

quidam occasionem sumpserunt dubitandi, utrum in ipsis plantis principium agnosci debeat a viribus naturae inorganicae diversum omnino et ordinis altioris. Confer Suarez (*Metaph.* D. 15. sect. 10. n. 23.), ubi hoc etiam argumento utitur ad eandem rem probandam, ac merito illud appellat *optimam rationem*.

Solvuntur difficultates.

92. Mirum est, quanta solertia doctrina in praecedenti conclusione stabilita ab adversariis oppugnata fuerit, idque ex principiis non solum philosophicis, sed etiam theologicis. Praecipuas difficultates hic examinabimus quae philosophicae sunt, ceteras in commodiorem locum reservantes. Qui plura velit consulat egregium Opusculum B. Thomae *De pluralitate formarum*, parte 3^a.

Obiectio I. — Ex communi concipiendi modo, corpus, ad animam comparate, se habet ut pars materialis ad formalem. Atqui partes eiusmodi distinguuntur invicem, et quidem adaequate. Ergo anima pertinere nequit ad ipsam rationem corporis, ut pars intrinseca et essentialis, cuiusmodi profecto est forma substantialis.

Respondeo. *Dist. maiorem.* Ex communi... si corpus accipiatur ut genus, *neg.*; si sumatur ut pars animalis, *subdist.*; ita ut haec comparatio supponat formas secundum essentialia differentes, *neg.*; ita ut haec comparatio habeatur ex praecisione mentis fundata in diversis gradibus perfectionis quos forma tribuit materiae, *conc.* *Contradist. min.* Atqui partes huiusmodi distinguuntur invicem, et quidem adaequate, secundum intelligibilem rationem, *conc.*; secundum rem et in omni casu, *neg.* Sub datis dist. *neg. consequens.*

Corpus, etsi grammaticaliter est nomen concretum, philosophicae tamen et metaphysicae quandoque ut concreta, quandoque vero ut abstracta vox accipitur, prout scilicet spectatur ut genus superius ad animal, vel ut pars con-

stitutiva animalis. Priori modo acceptum, concrete scilicet et ut genus, denotat *substantiam completam compositam vel trinam dimensionem exigentem*: et ita significat confuse integram naturam speciei de qua praedicari potest. *Confuse*, inquam; non enim determinatam naturam significat, puta hominis, vel leonis. Patet autem, hac ratione corpus non se habere ad animal per modum partis ad totum, sed viceversa ut totum ad partem, totum scilicet universale ad partem subiectivam; et haec est ratio quamobrem vere dicimus, *animal esse corpus*; genus quippe praedicatur per identitatem de suis inferioribus. Alio modo corpus accipitur in vi termini abstracti, et ut pars constitutiva animalis, et sic denotat *ipsam formalem rationem corporis ut praecisam ab aliis notis*, vitae exempligratia. Sub hac acceptione animal comparatur ad corpus, ut totum integrale ad partem sui constitutivam, ac propterea minime tunc dicitur animal *esse*, sed *habere* corpus. Porro utrovis modo accipiatur, semper, si de viventibus agatur, includit tum materiam, tum formam quae est anima; sed aliter et aliter. Siquidem, in priori acceptione, includit quidem animam, sed sub generali et confusa ratione *formae ultimo specificantis*, non determinando speciem in qua constituitur: in altera vero includitur etiam anima, sed praecise quatenus haec confert primae materiae *infimum gradum perfectionis in linea entium*, h. e. substantiae habentis trinam dimensionem cum praecisione vitae. Quoniam vero hoc postremum est quid imperfectius et potentiale respectu vitae, propterea tunc dicitur corpus se habere respectu animae, prout haec est principium vitae, quasi materia ad formam. Recole quae diximus [41.: *Pr. Ph.* 87, 372].

Instabis. Etiam in corporibus regni mineralis, praeter communem rationem corporis, datur in singulis propria differentia qua ad hanc vel illam speciem corporis sive mixti sive elementaris determinantur; nec propterea aqua ex. gr. dicitur esse substantia quaedam composita ex *corpore et forma aequa*. Ergo signum est, in viventibus, id unde sunt corpora, realiter adaequate distingui ab eo unde vivunt, anima scilicet.

Respondeo, *Neg. Conseq.* Ratio quare haec distinctio fiat duntaxat in natura organica, petitur ex iis quae ante diximus [59, seqq.]. Nimirum omnes omnino vires naturae anorganicae sunt unius eiusdemque ordinis, siquidem ipsae formae mixtorum non sunt nisi mera quaedam resultantia formarum elementarium. Contra accidit in viventibus, in quibus propterea merito distinguitur communis ratio seu actuatio, quam materia corporalis ab omni forma recipit, ab actuatioe altioris ordinis, vitae scilicet cuius principium est anima. Apposite Suarez: "Nihil est quod nos cogit, ut nomine *corporis*, (cum scilicet vivens dicitur constare corpore et anima), intelligamus puram partem physicam quae est materia, sed ut stat sub quodam gradu metaphysico formae, seu, quod idem est, dicitur compositum ex forma v. g., non quatenus anima est, sed quatenus dat gradum corporeitatis. *Ad declarandam enim propriam rationem animae, et singularem gradum perfectionis quem addit ultra communem gradum corporis, distinguimus peculiariter in viventibus animam a corpore, et significamus corpus per modum partis physicae, non quia forma in eo inclusa sit pars physica comparata ad animam, sed quia concipitur ac praescinditur ac si esset forma distincta.*" (*Metaph. D.* 15. sect. 10. n. 15.)

Obiectio II. — Philosopho definiente, anima est *actus primus*, h. e. forma, *corporis physici*. Atqui actus seu forma non constituit subiectum in quo recipitur.

Respondeo, *Dist. minorem*. Si sermo sit de actu accidentali, *concl.*; si sermo sit de actu substantiali, *neg.*

Hoc differt inter substantialem et accidentalem formam [22], quod actualitas prioris non causatur ab actualitate subiecti, sed viceversa; in forma vero accidentali praesupponitur subiectum in actu, et ex huius actualitate causatur ipsa. Praeterea, si proposita difficultas valeret, nimirum sane probaret. Nimirum Philosophus non solum dixit, animam esse actum primum corporis physici, sed addidit *potentia vitam habentis*, hoc est, ut ipse explicat, aptum ad vitaliter operandum. Atqui non nisi corpus vivum

est idoneum vitali operationi exercendae. Ergo, si valeret obiectio proposita, corpus quod ut subiectum animae in recitata definitione a Philosopho exhibetur, nec vitam ab anima formaliter recipere dici deberet; quod est contra expressam eiusdem Philosophi in eodem loco declarationem. Siquidem addit, quod cum dicitur corpus *potentia vitam habens*, haec potentia *non excludit animam*, sed dicitur duntaxat per oppositionem ad animae operationem, vitalem scilicet. Quare dicendum est, ut ante declaravimus [84], traditam definitionem dari per causam finalem intrinsecam ipsius animae. Haec porro est compositum ipsum ad quod constituendum ut forma ordinatur anima (1). Finis autem, etsi intentione primum, executione tamen est posterius. Quare corpus cuius actus dicitur esse anima, *physicum* scilicet, *organicum, potentia vitam habens*, naturae quidem intentione praecedit animam, ut totum partem, sed ipsius naturae executione consequitur ipsam animae informationem. Ad rem Angelicus. "Dicendum, quod Aristoteles non dicit animam esse actum corporis tantum, sed actum corporis physici organici potentia vitam habentis, et quod talis potentia non abiicit animam. Unde manifestum est, quod in eo cuius anima dicitur *actus*, etiam anima includitur eo modo loquendi quo calor est actus calidi, et lumen est actus lucidi; non quod seorsum sit lucidum sine luce, sed quia est lucidum per lucem.

(1) Hoc minime contradicit his quae idem Aristoteles habet (1. *De Anima*, c. 4.), ubi eleganter probat, animam esse principium vitae corporis, tum in genere causae formalis et efficientis, tum vero etiam in genere causae finalis. Nimirum vivens, puta planta vel animal, dupliciter spectari potest, *adequate* et *inadequate*. Priori modo spectatum, patet ipsum esse causam finalem animae, non viceversa; omnis quippe pars ordinatur ad totum. Sin autem alia fiat consideratio, et ex una parte spectetur anima, prout huiusmodi, videlicet ut vitae principium, (sic enim omnes animam concipiunt), et ex alia parte spectetur corpus, ut corpus, ut scilicet habet infimum gradum perfectionis in genere substantiae, tunc verissime dicitur anima esse corpori finis; imperfectiora enim ordinantur ad perfectiora ut ad finem. Confer quae in Philosophia Prima diximus [675].

Et similiter dicitur, quod anima est actus corporis etc., quia per animam et est corpus, et est organicum, et est potentia vitam habens. Sed actus primus dicitur respectu actus secundi qui est operatio: talis enim potentia est non abiiciens, i. e., non excludens animam., (*Sum. th. 1. p. q. 74. a. 4. ad 1.*)

Obiectio III. — Formae quarum altera sine altera in materia permanet, reipsa distinguuntur invicem. Atqui, homine moriente, materia amittit quidem formam viventis, retinet tamen formam corporis; cadaver quippe est vere corpus de genere substantiae. Ergo, in viventibus, corpus per aliam formam est vivum, per aliam vero corpus.

Respondeo. *Concessa mai., dist. min., eiusque probat.* Homine moriente, materia retinet formam corporis, et cadaver vere est corpus eiusdem speciei ac antea, *neg.*; diversae speciei, *conc.* Ut enim optime declarat Silvester Maurus: "Cum animal moritur, amittit animam qua simul constituebatur et corpus et corpus vivum, sed quia acquirit aliam formam qua constituitur corpus mortuum, ideo dicitur retinere formam corporis. Explicatur exemplo figurae. Cum enim quadratum rotundatur, remanet figura non quidem eadem numero, vel specie, sed genere, in quantum loco quadraturae qua constituebatur figuratum simul et quadratum, advenit rotunditas qua constituitur figuratum simul et rotundum." (*Qq. Philos. lib. 3. q. 26. ad 1.*) Ipsissimam doctrinam tradit Angelicus his verbis. "Non sic est intelligendum, quod anima sit actus corporis, et quod corpus sit eius materia et subiectum, quasi corpus sit constitutum per unam formam quae faciat ipsum esse corpus, et superveniat ei anima faciens ipsum esse corpus vivum: sed quia ab anima est et quod sit et quod sit corpus vivum. Sed hoc quod est esse corpus, quod est imperfectius, est quid materiale respectu vitae. Et inde est quod, recedente anima, non remanet idem corpus speciei; nam oculus et caro in mortuo non dicuntur nisi aequivoce, ut patet per Philosophum in 7. Metaph.; recedente enim anima, succedit alia forma substantialis, quae dat aliud esse specificum, cum corruptio unius non sit sine generatione alterius." (*2. De Anima, lect. 1.*)

Instabis. Non apparet, plerumque saltem, quae possit esse causa efficiens et sufficiens ad istiusmodi novam formam inducendam in corpus demortui. Praeterea, cum hoc fere innumeras phases subeat quousque in cineres commutetur, videntur plus aequo multiplicari formae substantialitatis id genus.

Ante responzionem noto, in omni sententia gravissimas difficultates occurrere, cum agitur de generatione et corruptione viventium: res quippe est abscondita valde, in cuius propterea consideratione cautum esse oportet, ne imaginationi indulgeatur. Profecto, si quis ab hac abripi se sinat, ipso audito nomine *formae cadavericae*, procul dubio conturbabitur, et fortasse ab ulteriori et magis seria veritatis inquisitione removebitur. Insuper, nemo prudens conclusionem sufficienter probatam ideo repudiabit, quia difficultas aliqua forte occurrit quae solutionem habeat non adeo facilem. His positis

Respondeo ad primum. Certum est, mortem non consistere in mera quadam separatione quasi locali, quae anima valedicat corpori, nec etiam accidere ex sola ipsius animae imbecillitate. Concedunt enim adversarii, quibuscum in praesenti agimus, animam, ut anima est, h. e. principium vitae, esse veram et substantialem formam corporis, ac propterea naturali quodam appetitu ad illud informandum ordinari. Idcirco igitur istiusmodi separatio contingit, quia corpus non est amplius idoneum subesse huic informationi. Debet itaque in materia locum habere intrinseca et profunda quaedam mutatio, ratione cuius inepta evadat ad esse vitale retinendum. *Intrinsecam* dico et *profundam*: nihil enim penitus inest substantiis viventibus, quam hoc ipsum quod est vivere: unde illud verissime dictum, *vivere viventibus est esse*. Nihil mirum proinde, si materia incipiat actuari novo quodam principio formali, quocum sit incompossibilis animae informatio, quae propterea desinat necesse est. Illa ipsa proinde causa, *adequate sumpta*, quae mortem inducit, ideo id efficit, quia inducit in materiae actionem praedictam. *Haec porro non est alia, ab ea qua efficiuntur ceterae transformationes corporum mix-*

torum in alia mixta, vel mixtorum in corpora elementaria, et quam ante assignavimus ex mente Aquinatis [49]. Quare Doctor Angelicus paulo post verba in nota citati num. recitata, haec subdit. " Ex quo patet, quod virtus formae elementi dominantis in mixto habet non solum solvere mixtum, et inducere propriam formam talis elementi, sed transmutare mixtum de una proportione miscibilium in aliam quousque in ipsam formam propriam deveniatur. El ideo licet forma corporis mortui non fuerit virtute in vivo: quia corpus mortuum non venit in constitutionem corporis vivi, quod facit quidquid in virtute continetur in alio, sicut patet in elementis quae constituunt mixtum: est tamen in vivo virtus elementaris, quae nata est solvere proportionem miscibilium in qua salvatur vita, ad quod sequitur quod succedat alia forma dans novum esse."

Hinc patet etiam responsio ad secundum. Compositio quippe elementarium corporum in mixtis organicis est multo magis complicata quam in mixtis anorganicis, et in animalibus magis adhuc quam in vegetalibus. Hinc multo facillius est, causis extrinsecis agentibus, transilantur limites proportionis, quae est propria dispositio ad formam in huiusmodi mixtis conservandam, quam in ceteris: unde nova corruptio adeoque nova generatio succedit. Quare multitudo formarum quae hic intervenit, non maiorem arguit virtutem extrinseci agentis, sed minorem, ut ita dicam, consistentiam et stabilitatem subiecti in quod operatur. Ex quo illud etiam efficitur, quod, si potentior causa intervenit, puta cum animal fulgure occiditur, poterit vel in ipsa elementaria corpora continuo commutari.

DISPUTATIO III.

DE QUANTITATE CORPORUM.

SECTIO I.

Generalia quaedam pronuntiata de re quanta, prout huiusmodi.

93. **Definitio rei quantae tradita a Philosopho.** — Quantitas, vere et proprie, corporea scilicet, hoc modo definitur ab Aristotele: *Quantum dicitur quod est divisibile in insita, quorum utrumque aut singula unum quid et quod quid apta sunt esse* (1). Definitur porro quantum potius quam quantitas, quia concreta sunt nobis notiora; ex quo propterea exordium disquisitionis ducere oportet. Addit insuper Aristoteles vocem illam *dicitur*, quo tacite subindicet, se non tam velle naturam intimam huius rei explicare, sed nominalem potius eiusdem rei descriptionem tradere. Ille vero ea probe intelligatur, haec nota.

Dicitur 1. *Quod est divisibile.* Quid porro sit *divisio*, in Philosophia Prima declaravimus [457]; est scilicet ea cuius privatione constituitur *unum*, et ex qua efflorescit *multitudo* seu *pluralitas* (2). Pluralitas porro quae intel-

(1) Ποσόν λέγεται τὸ συνεχές εἰς ἄσπαστον, ὃν ἕκαστον ἢ ἕκαστον ἐν αὐτῷ καὶ τὸ ἐν τῷ πλείοντι εἶναι. *Metaph.* 4. al. 5. c. 13.

(2) * Unum non est remotivum multitudinis, sed divisionis, quae